



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Arcadij Imperatoris ab hac vita deceßu. Cap. XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

At longum esset scriptis persequi, memorareq; omnia, quæ sunt ab eo commodè dicta. Quapropter contentus sum paucis, qualis fuerit, declarasse. Illud tamen dico, eum ob doctrinam omnium sermone fuisse celebratum ab omnibus Episcopis, qui eius ætate ordine alter alteri, ibi succedebat, ea de re & amatum plurimum, & in summo honore habitum: quin etiam cuncti primarij viri ordinis Senatorij eum amplexati sunt, atque adeo admirati. Ac tametsi libri complures ab eo conscripti sunt, inque illis sermonis elegantiam confectatus est, multaque verba poetica intexuit, dicendo tamen, quam scribendo plus laudis est consecutus. Nam in eius vultu, voce, habitu, obtutu, & toto corporis gestu multus lepos inerat. Ob quas res vehementer, cum ab omnibus religionis sectis, tum ab Attico Episcopo vel maximè diligebatur. Atque de Sisinio ista quidem hoc modo.

De Arcadij Imperatoris ab hac vita decessu.

C A P. XXI.

NON longo tempore post mortem Ioannis, Imperator Arcadius excessit è vita: vir mansuetus & pacificus: qui extremo ætatis tempore pietatis opinionem adeptus est, idq; ob hanc causam. Est quidem Constantinopoli domus amplissima, quæ Carya dicitur: in cuius atrio est castanea arbor: in qua fertur Acacium martyrem suspensum, occubuisse. Qua de causâ parua ecclesia apud illam arborem ædificata fuit: quam Imperator Arcadius videre cupiens, in eam ingreditur: cumque preces ibi peregisset, decessit. Omnes, qui circiter illam ecclesiam habitabant, ad Imperatorem conspiciendum confluunt: ac nonnulli extra ædes egressi, transitus platearum anteoccupare contenderunt, vnde putabant se & Imperatoris vultum, & totam stipatorum turbam planius videre posse. Alij Imperatorem ab ecclesia vsque eo sequebantur, quoad omnes viri cum mulieribus & pueris extra illam domum exiissent. Quo factò, ilico domus illa, quæ ecclesiæ adiuncta erat, corruit. Vnde fama cum summa omnium admiratione infecuta est, Imperatoris precibus tantam hominum multitudinem ab internecione fuisse liberatam. Atq; huius rei gestæ hic exitus fuit. Arcadius, filio Theodosio octauum annum ætatis agente

agente post se relicto, moritur, Basso, & Philippo Coff. Ca-
lend. Maij. Anno secundo ducentesimæ nonagesimæ septi-
mæ Olympiadis. Regnavit vnà cum patre Theodosio
annos tredecim: Et cum trigessimum primum
ætatis annum compleuisset post mortem
patris, quatuordecim annos reg-
navit. Liber continet spa-
cium duodecim an-
norum, & sex
mensium.

Finis Sexti libri.

¶ *Ista quæ sequuntur, quoniam in alijs exemplaribus
reperta sunt, non quasi desiderata, sed alia quadam
ratione conscripta, idcirco non incommodum visum
est, hoc loco ponere, Eandem historiam continent, quæ
de Ioannis itinere Ephesum ad Heraclidem desi-
gnandum Episcopum suscepto, supra decimo capite
perscripta est.*

INterea temporis cum Episcopus Ephesi fortè è vita mi-
grasset, Ioannes Ephesum ad Episcopum ordinandum
necessariò profectus est. Qui cum illo aduenerat, & alij
alium ad Episcopatus dignitatem efferre laborabant,
Heraclidem Diaconū suum genere Cyprium, Episcopum
designauit. Hac de causâ cum Ephesi seditio oriretur, pro-
pterea quòd Heraclides indignus Episcopatu habitus fuit,
Ioannes necessitate adductus, ibi diu commoratus est.
Itaque dum illic moram faceret, Seuerianus Constantino-
poli auditorum animos maiore beneuolentia sibi deuin-
xit. Quæ res Ioanni minimè obscura & incognita fuit.
Quippe à Serapione, quem summo amore complecteba-
tur, & cui totam curam episcopatus procurandi, tum quòd
pius & omnino fidelis erat, tum quòd sobrius in primis, &
in partibus Episcopi tuendis diligens & peritudiosus.